

184

182

188

niensi, ut et sibi de navgio provideret, et locuti cum domino Sebastiano Conterini sumus, eumque sicut me in suam galeam suscepit, de quo plurimum gavisus (sum), nam a Venetiis usque huc semper individui fuimus, nec in societatem peregrinorum Sanctae Catharinae venisset, nisi per me inductus et adjutus, ut patet P. 1. Fol. 221. B. Consequenter alii peregrini etiam sibi providerunt de navibus, et divisi sunus ab invicem in quatuor naves: octo enim peregrini venerunt in galeam domini Sebastiani Conterini, omnes scilicet domini primae societatis et ego cum domino Johanne de tertia societate; quatuor reliqui de tertia societate venerunt in galeam domini Bernhardini Conterini; duo fratres minorres, pater Paulus et frater Thomas recepti fuerunt in galeam domini Marci de Jordano; domini peregrini secundae societatis venerunt in galeam domini Andreae de Jordano. Ista autem divisio nostra non absque litigiis et contentionibus transivit, de quibus scribere non est necesse. Effectu autem patebit, quod nemo melius provisus fuit, nisi octo primi, alii multa sustinuerunt, ut in sequentibus patebit.

Dispositio peregrinorum ad naves, et quomodo ramos palmarum emi cum periculo meo.

Tricesima prima die Octobris et ultima, quae est vigilia omnium Sanctorum lectis missis incepimus nos disponere ad ingressum navium; et emeramus ea, quae sciebamus nobis esse necessaria per mare. Ea die emi ego ramos palmarum, ultra LX, pro die palmarum, quos cum periculo emi, cum sollicitudine per mare duxi et cum expensis et laboribus per terram Ulmam advehi procuravi. Emilio autem eorum fuit pro tanto pericolosa: transivi per forum et multos vidi de foliis et plectis palmarum sportas plectentes, sed nullum ramum inveni, dedi autem eidem Sarraceno sportario signum, an haberet (B) in domo ramos palmarum? Intelligens autem me surrexit de valya negotii sui et laboris, et me secum duxit per longum vicum. Incepi autem dubitare inter me timens, ne Sarracenus seduceret me, et dedi sibi signum, quod redire vellem, et averti me ab eo. Hoc ut notavit homo, turbatus et tristatus fuit loquens mihi seriose Sarracenice, quae non intelli-

Ende

Anfang

